

J. Mauritii

Elegia

de

triumpho adscend. Christi


ad coelos.

Rošt., 1584.










BIBLIOTHECA REGIA
HAFNIENSIS

ELEGIA
DE TRIUMPHO
ASCENDENTIS CHRISTI AD COELOS.

AD

JLLUSTRISSIMUM PRINcipem ac Dominum, Dominum ADOLPHUM, Noruuegiæ hæredem, Schlesuuici, Holsatiæ, Stormariæ, Dithmarsiæ Ducem, Comitem in Oldenburg & Delmenhorst, &c.



ROSTOCHII
Typis Stephani Myliandri.
ANNO
CIↃ IↃ XXCIV.

Illustrisſimo Principi ac Domino,
Dn. ADOLPHO, Hæredi Noruuegiæ, Duci
Schlesvvici, Holſatiæ, Stormariæ, Dithmarſiæ,
Comiti in Oldenburg & Delmenhorſt &c.
Domino ſuo clementiſsimo.

ILluſtriſsime Princeps, Domine clementiſsime, quam mirè Deus, & præter humanæ rationis captum, Eccleſiæ ſuæ puſillum gregem foueat, propaget, conſeruet, nemo vnquam meditatione ſatis aſſecutus eſt: Vbi enim penitus vi fluctuum ſubmerſus, & totus obrutus oppreſſusq; videtur, inſtar vtris è medijs procellis emergit, ac velut palma, contra onus altius inſurgens ſupprimi nullo modo poteſt. Licet enim potentiſsimos hoſtes habeat, inſidiatoresq; peruicaciſsimos, vincit tamen vires & aſtus horum omnium, vnius Dei, exigui huius cætus defenſoris accerrimi, protectorisq; omnium in ſe ſperantium, ſapientia & bonitas omnipotens. Qui & ſubinde piorum Gubernatorum animos excitat, vt Eccleſiæ ſuæ, & ſcholarum, quæ vera Eccleſiæ ſeminaria ſunt, patrocinium ſuſcipiant & agant. Quorum exempla inmedium adduci poſsent plurima, niſi apud Cels. veſtram, eorum commemorationem ſcirem eſse ſuperuacaneam. Quippe quam nulli Maiorum vel pietate ac reuerentia erga Eccleſiam, vel liberalitate ac munificentia in ſcholas cedere palam eſt. Cuius illuſtres præ cæteris teſtes eſſe poſſunt Schleſuuicenſis Academiæ & Bardesholmenſis collegij alumni (ex quorum numero & me grata mente confiteor) Quos Celſitudo V. incredibili beneuolentia complectitur & promouet. Veſtræ igitur Celſ. haſce mearum lucubratiuncularum primitias offerre volui, vti qualemcunq; erga Celſ. V. animi grati ſignificationem ederem. Quare reuerenter oro, vt Celſitudo V. hunc meum conatum benigno vultu accipere, meaq; ſtudia clementer prouehere dignetur. Roſtochij.

Celſ. V.
ſubiectiſs. animo
colens

IOHANNES MAVRITII
Ekelſordenſis Cimber.



ELEGIA
De Triumpho Aſcendentis
Chriſti ad cœlos.

Gentibus acre fuit ſtudium, labor acris,
& ardor,
Digna laude ſuos ferre ſub aſtra Du-
Qui vel conſilio Prudenti ſceptra gerentes (ces.
Imperij, patriæ iura dedère ſuæ.
Aut animo excelſo tutati mœnia & aras,
Fuderunt Forti caſtra inimica manu.
Vel qui Iuſticiæ ſtudioſi, lancibus æquis
Singula dimenſi, cuilibet æqua darent.
Vel qui traducta iuſto Moderamine vita
Naturam certis continuère modis.
Illorum ſtatuas, encomia, Grata vetuſtas,
Res geſtas, pompas, bella, trophæa, canit.
Horum virtutes multis miratur, & audet
Ipſos cœlicolis annumerare Dijs.
Quo magis illorum, Chriſti qui verba fatentur,
Nomina perpetuò Nos celebrare decet.
Quanta quis cura, ſtudio, conamine quanto,
Tutatus veræ ſit pietatis opus.
Hic propagando cultum, ſanèq; docendo,
Doctrinæ ſocios ille fouendo greges:

Nullo vel vitæ, vel Rerum pondere ducto,
Sola cernendi ſpeq; fideq; Deum.
Hæc Nos mirari decet, atq; ſtupeſcere, Et ipſos,
Cœleſti Heroas annumerare choro.
Inprimis Author noſtræ, aſſertorq;, ſalutis,
Quantum contulerit, commemorare, boni.
Virgine dum natus patitur, moriturq;, necemq;
Vincens, ætherei tranſit ad aſtra poli.
De quibus, his ipſis Eccleſia grata diebus
Concinit, in laudes ora ſoluta Dei.
Vt viuus ſuperas remeârit Chriſtus ad auras,
Victa tartarei vi rabieq; Ducis.
Seq; diu ſiſtens reducem de morte Miniſtris,
Iuerit ad ſuperas, patria regna, plagas.
Ac portam nobis tandem reſerârit Olympi,
Quæ culpa primi clauſa parentis erat.
Ergò cur ſeſe non falſa in gaudia ſoluat,
Et dicat memori pectore grata Deo:
Atq; triumphanti Domino gratantia Chriſto
Iubila decantet: iam pius omnis habet.
Tantus enim ſplendor, tanta eſt quoq; gloria pom-
Huius, vt vllorum non fuit ante Ducum. (pæ
Quorum quantumuis currus celebrentur Eburni,
Atq; auro inſignes, Militiæq; decus.

Munera

Muneraq; in vulgus diuisa, Epulæq; superbæ: (cas?
    Hanc tamen ad pompam cuncta quid ista vo-
Quam Regum Dominus facto, Flatusq; sacratus,
    Decreto, Nostro constituere Duci.
Qui curru nitidum cælesti inuectus Olympum,
    Per spaciosum, ingens, aëra, carpit iter.
Cui sancti comites Lethæo è fonte reducti
    Adiuncti, claudunt Regis vtrunq; latus.
Præcedunt hilares alij, quidamq; sequuntur,
    Angelicæ turbæ non numeranda phalanx.
Ipsa Triumphali victoris gesta recenset
    Carmine, non homini cognita gesta prius.
Hinc atq; inde pium circumstans vndiq; vulgus,
    Semper io felix viuito victor, ait.
Conspicitur reliquis faciem formosior Ales,
    Principis ante ferens arma cruenta sui.
Arma, quibus Ductor signa aduersantia fudit,
    Scilicet, affixus cui fuit ipse, crucem.
Huic appensa Dei legis vox, pectora terrens,
    Et damnans omnem Ditis ad antra virum:
Sed clauis dispuncta, sacroq; obducta cruore,
    Hinc vt sit vires non habitura suas.
Hunc stipant iuuenem victricia signa gerentem
    Cum patribus, vates, aligerumq; cohors:

Turba triumphalem præcedit proxima currum,
Deuicta, atq; armis dispoliata suis.
In quibus horrendum monstrum, Plutonia proles,
PECcatum, primos occupat antè gradus.
Hoc à primæuis quondam Genitoribus ortum
Infecit vitio pectora cuncta suo.
Pallida MORS sequitur, nudis vix ossibus hærens
Quam cingit socium, lurida spectra, chaos.
Terribile ex Acheronte agmen comitatur auaro,
Quicquid aquæ Stygiæ, quicquid Auernus habet.
Lucifer igniuomus, princepsq; Beelzebub Orci,
Qui secum ex reliquis millia multa trahunt.
Post hos infertur (nimium miserabile dictu)
Capta Hominum, Stygij, copia, fraude lupi.
Attamen hi quamuis inimica sub agmina ducti
Censentur pœnas demeruisse pares:
Iusticia tamen ornati, se libera signant,
Victoris Christi, corpora facta, Fide.
Dumq; hostes alij rapiantur ad vltima Auerni
Supplicia, extremum non habitura diem.
Se precio redimi iusto, Reddiq; vicissim
Iam libertatis pristina iura sibi.
Vtq; hi sic præeunt, sequitur pars altera currum,
Altera cum Domino pars rediuiua suo.

F

Et qui Diuini tractant oracula verbi,
Victoremq; fide saluificante colunt.
Iusta triumphanti Laudum præconia turba
Occinit enumerans grandia facta Ducis.
Quàm fortis, quanto sit robore præditus, Et quàm
Euictis clemens, supplicibusq; bonus.
Tandem vbi peruentum est summi ad Capitolia
Sedem cœlicolûm sidera cuncta super. (templi,
Obuius æternus Pater, & spirabile Flamen,
Agminis Angelici concomitante choro:
Excipit aduentum Gnati, gratantibus vlnis:
Læticiam cœli cuncta theatra sonant.
Atq; ipsum ducens in summa palatia, Regni
Cœlestis, pariter frena tenere iubet.
Ad dextramq; locans simili dignatur honore,
Subijcit huic, tellus & quod Olympus habet.
Inde triumphator largißima munera fundit,
Munera, quæ nullo sunt peritura die.
Scilicet æternæ verißima gaudia vitæ,
Et quæ præterea dat bona plura pijs.
Intercedendo quod Patris mitigat iram,
Expiat & meritis crimina nostra suis.
Pectora nostra sacri succendit Numinis igne,
Nosq; cohæredes efficit esse sibi.

A 4 Her

Hæc bona non Henoch translatus in atria Diuûm,
Præsentis compos factus & ipse Dei.
Non qui stelliferum curru transcendit Olympum
Igneo, ab ignitis turbine raptus equis.
Sed solus Princeps noster, solusq; redemptor,
Hæc nobis victo victor ab hoste tulit.
Huic igitur tanto victori, tamq; benigno
Aßiduè grates pectora nostra sonent.
Pro tàm felici palma, partoq; triumpho,
In nos quo tantas accumulauit opes.
Nosq; gregi Angelico comites, turbæq; beatæ
Iungamus, vitæ moribus, atq; fide.
Quò tandem & nosmet fieri poßimus eorum
Participes, ipsis & sine fine frui,
Gratuita bonitate suis quæ donat alumnis,
Ipsum qui vera relligione colunt.
Quæ rata sint semper, faxis, mitißime victor,
Perpetuò tibi sit gloria, splendor, honos.

FINIS.

